

decif. 13. *Game*, num. 4. fol. 19. col. 3. quo loco prædictus Author Tiraquellum, & Thesaurum dumtaxat refert & in proposito nostro dicit veram resolutionem esse, quod quando contractus in substantia nihil aliud continet, quam contineat promissio, iudicatur promissio ex æquitate ut contractus, ut vitetur inutilis circuitus: quod est verum, & in effectu idem, quod cum Rolando superius diximus, quem tamen non refert ipse. Quando verò contractus addit supra promissionem, vel in modò, vel in accidentalibus aut substantialibus, valde differunt; tunc promissio non iudicatur ut contractus, licet ex promissione compellatur quis ad faciendum contractum: quod etiam est verum; & confirmatur ex his, quæ dicentur statim: tradit etiam superiorem resolutionem, sed Azevedium non refert, Cævallos *diçt. quæst.* 209. num. 2.

- 18 Sextò & ultimò constituo, Joannis Andreae doctrinam in aliis terminis intellectam, periculosam esse, nec tenendam quidem: idque per rationes, auctoritates, & decisiones Doctorum traditas à Tiraquello *de retractu conventionali, ad finem tituli, ex num. 42.* usque ad n. 62. Rolandum *diçto conf.* 69. ex num. 25. cum seqq. vol. 3. Menochium in *conf.* 92. n. 1. & quinque seqq. vol. 1. Marcum Antonium Eugenium in *conf.* 7. num. 13. & 14. lib. 1. Joannem Franciscum de Ponte in *conf.* 85. per totum, vol. 1. Vincentium Carocium, & alios locis, & n. relatis supra num. 8. & 9. maxime in promissione de vendendo, in qua, licet alii multi aliter teneant, alii etiam pro concordia contrarietatum distinguant; ut plene ostendit Petra *de fideicommissis, quæst.* 8. ex n. 141. usque ad n. 160. verius crediderim, promissionem differre ab ipsa venditione, nec promittentem venditurum certo pretio, dici posse jam vendidisse: quod multis rationibus defendit Senatus Pedemontanus, ut firmat Antonius Thesaurus *decif.* 233. per totum Rolandus *diçto conf.* 69. n. 25. *verf.* 3. respondetur, vol. 3. ubi inter hunc casum, & casum Joannis Andreae veram reddit, & concludentem differentiam rationem, ut ibi videri poterit: & per Avendannum *responsio* 7. num. 4. ubi eruditè, & verè ostendit, promissionem de vendendo operari unum effectum tantum, hoc est, ad interesse, ipsam verò venditionem esse efficaciorè contractum, etiam ut tradatur res ipsa præcisè, si est in potestate venditoris: & sic, & nomine, & natura, & qualitatè multum distare inter se, quod etiam tenet Pinellus, & optimè declarat 2. *part. leg.* 2. C. de rescindenda venditione, cap. 3. n. 29. fol. mihi 186. latius, & plures effectus considerans Petra ubi supra, Joannes Franciscus de Ponte in *conf.* 85. num. 2. lib. 1. ubi num. 8. rectè probat per promissionem de vendendo non acquiri jus in re, Vicentius Carocius *de locato & conducto, quæst.* 1. de promissione locandi, num. 14. fol. 49. ubi superior resolutionem limitat, eleganter declarans eam, & insert ad alia similia, scilicet ad pactum, vel promissionem de donando: de qua omnes superius citati: Petra *diçta quæst.* 8. num. 164. ac cæteris elegantius Pinellus *diçt.* 2. *part. leg.* 2. C. de rescindenda vendit. cap. 3. n. 30. per totum fol. 189. cui convenire videtur Menochius in *conf.* 92. n. 42. in fine, vol. 1. insert etiam ad promissionem de locando, de liberando, & de fidejubendo, ut ibi videri poterit: & de promissione de renunciando legitimæ paternæ, vel maternæ, & renunciacione postea facta absque juramento. Vide Avendannum *diçt. resp.* 27. per totum, Cævallos *diçt. quæst.* 209. num. 3. & 4. & de omnibus prædictis latissime Petram ubi supra. Denique, nec in promissione alienationis rei feudalis, vel emphyteuticæ procedere potest Joannis Andreae doctrina, quippe cum diversa ratio militet, nec jura loquentia de circuitu vitando, extendi debeant ad hunc casum privationis, vel caducitatis: prout tenuerunt expressè multi congesti per Tiraquell. loco *supè* repetito, n. 44. & n. 45. & in terminis, quòd feudum, vel rem emphyteuticam alienaturum se & venditurum promittens, non cadat à jure suis: licet caderet, si alienaret, irrequisito domino, cum Alexandro, Baldo, Cardinali, & Afflictis defendit Joannes Franciscus de Ponte *diçto consilio* 85. per totum lib. 1.

Et de his hæctenus, de quibus penes prædictos Authores, latius videri poterit, cum occasio se offeret.

CAPUT IV.

De Fæminarum exclusione vel inclusione in major.

Fæminæ primogenitæ, qualiter ad Majoratus successione admittantur, vel non; Propter masculos ejusdem lineæ, & gradus, aut etiam remotioris, quando excludantur, Agnationis conservandæ rationem, ex quibus videantur Majoratum institutores habuisse; Masculorum vocatio, quando in hominum dispositionibus censetur facta agnationis conservandæ, aut prælationis inducendæ gratia; Qualitas masculinitatis in certis gradibus, substitutionibus, aut personis expressa, an, & quando in aliis repetita censi debeat, vel non, ubi de contrarietate consiliorum Abbatis, Ananiæ, & aliorum, accuratè, & plenius, quàm antea erat, tractatur; Deindè repetitio qualitatis, vel conditionis adjectæ præcedentibus, quando dicatur, vel præsumatur fieri ad sequentia; & qualitatum præcedentium repetitio, ex quibus causis, aut dictionibus, vel rationibus induci, aut cessare debeat, plena, & distincta manu tractatum proponitur: Authorem ferè omnium, qui hæctenus in proposito scripserunt sententiæ, & opiniones suo ordine, breviter tamen, & distinctè recensentur in unum; & multa dilucide, & noviter adnotantur per Authorem, quæ originali, & assidua librorum lectura digeruntur, nec erant ab alio huc usque sic explicata.

SUMMARIUM.

- 1 Dubia & quæstiones proponuntur, quæ in summano hujus capituli continentur, & quæ hic præcipue tractantur.
- 2 Utilitasque, & necessitas aerum commendantur.
- 3 Authores quamplures referuntur, qui quæstiones hujus capituli tractarunt, & infra num. 141. cum multis seqq. ubi infiniti congeruntur in unum, ac eorum specifica mentio fit suo ordine, ut ibi videri poterit.
- 4 Antonii Gabrielis in præfatis quæstionibus conclusiones congeruntur, & lectura originalis earum commendatur.
- 5 Modernum Paris. in hac materia eleganter, & utiliter loquutum, & de successione fæminarum cum masculis, in pari, vel remotiori gradu, & de dictionibus inducentibus tacitam repetitionem, multa necessaria, & notatu digna dixisse.
- 6 Ludovicus Molina laudatur, & ejusdem resolutiones circa quæstiones omnes hujus capituli commendantur, & de aliis Authoribus vide infra, ex num. 141. cum multis seqq. usque in finem capituli.
- 7 Masculinitatis qualitas, in uno gradu, vel substitutione aut parte testamenti adjecta, utrum in alteris repetita esse censi debeat; & multis numeris sequentibus.
- 8 Authores hujus regni, exteri etiam recentiores quamplures, in quæstione superiori scribentibus, notati per Authorem, quod paucis legibus, & rationibus moneantur, nec ad ea respondeant, quæ in contrariam partem urgere videntur.
- 9 Abbatis consilium 36. num. 3. lib. 1. expenditur, & sententia illius refertur, de qua per totum caput agitur.

10 Præca

De Fæminarum exclusione vel inclusione in Majoratu. Cap. IV. 17

- 10 Præcedentia declarant, sive determinant sequentia, & contra.
- 11 Una pars testamenti aliam declarat; & inde si verbum aliquod dubium sit, aut obscurum, eo modo intelligi debet, secundum quem reperitur in alia parte testamenti.
- 12 Voluntas testatoris in substitutionibus talis esse præsumitur, qualis fuit in institutionibus: unde sequens substitutio debet regulari & intelligi, secundum qualitatem prioris.
- 13 Unus gradus substitutionis alium declarat.
- 14 Ordo, datus inter primò nominatos, servari debet inter reliquos substitutos: quod, & diçta supra ex n. 10. intellige, ut declaratur infra, ex num. 101. cum sequentibus.
- 15 Fæminas proximiores qui excludit, posteriores etiam excludere velle multo magis credendus est.
- 16 Expenditur ratio l. si viva matre, C. de bonis maternis, & ad propositum illius nonnulla congeruntur remissivè, & vide infra num. 109. & 110.
- 17 Repetitio qualitatis præcedentis ob præsumptam testatoris voluntatem fieri debet, quæ alias non fieret.
- 18 Mutatio voluntatis præsumi non debet, maxime in continenti, vel in eadem dispositione: quod intellige, ut declaratur infra, num. 114.
- 19 Pelæx à Mieres notatus per Authorem, quòd in hac materia leges nonnullas expendat, quæ verè, nec Abbatis, nec Ananie sententiam possunt probare, & confusè inducuntur: & vide infra, n. 111. & seqq.
- 20 Legatum, in dubiis, videtur translatum in alium cum onere suo: & ibidem, quòd l. Caio, ff. de alimentis legatis, (quam expendit Mieres) Abbatis sententiam non probet; & vide infra, ex num. 115. cum sequentibus.
- 21 L. si tibi, cum l. seq. ff. de alimentis legatis, utrum à Mieres rectè potuerit pro Abbate, aut pro Anania ponderari? & latius infra num. 120. & 121.
- 22 L. Cum pater, §. ab instituto, ff. de legatis 2. quam adducit Mieres, utrum pro opinione Abbatis aliquo modo urgeat? latius infra num. 122. & seqq.
- 23 Clausula posita inter plura capitula, vel ante omnia, vel post omnia, ad omnia refertur: & vide infra num. 126. & 127.
- 24 Clausula generalis restringitur ad specificata, si plura fuerint.
- 25 Ananie *conf.* 22. num. 3. expenditur, & illius sententia refertur, quæ contraria est sententiæ Abbatis proposita supra num. 9. scilicet masculinitatis verbum, in una, seu etiam in pluribus partibus majoratus, aut dispositionis appositum, in alia ejusdem parte, ubi deest, suppleendum non esse, nec posse repetitionem induci.
- 26 Ludovicus Molina, ex mente aliorum, ad contrarietatem Abbatis, & Ananie, concordia relata, & per Authorem probata; & vide infra num. 100. & num. 136. & seqq.
- 27 Rationes omnes, quæ pro Anania excogitari solent per Doctores, ad quatuor reduci debent.
- 28 Commune Doctorum fundamentum pro opinione Ananie proponitur.
- 29 Testator censetur noluisse disponere, cum facile illi fuit, alia de re disponere, & non disposuit.
- 30 Testator hoc non dixit, hoc non expressit, ergo neque nos dicere debemus; vulgatissimum Doctorum assumptum, & multis confirmatum, & declaratum remissivè.
- 31 Simon de Prætis laudatur.
- 32 Testatoris, & cujuslibet alterius disponentis verba, in dubio ad intellectum juris communis referenda sunt.
- 33 Testator in dubio censetur cum dispositione legis, aut juris communis, se conformare voluisse.
- 34 Fundamentum secundum, quod pro Anania adduci solet, sumptum esse originaliter ex consilio Ancharam, 120. num. 4.
- 35 Legatum, fideicommissum, & omnis alia dispositio in dubio censetur pura, si in ea non inseratur dies, nec conditio; nec in dubio conditio præsumitur adjecta.
- 36 Dispositio conditionalis, vel potius pura, vel modalis, vel in diem, an, & quando præsumi debeat, accuratè, & utiliter actum per Menochium.
- 37 Præcedentia in sequentibus nunquam debent censeri repetita, quoties agitur de repetenda qualitate adversus dispositionem juris communis.
- 38 Diçta in uno capitulo, an, & quando, in sequentibus censentur repetita, remissivè.
- 39 Diçta & disposita in una parte legis, an, & quando præsumantur repetita in alia parte, plene tractatum remissivè.
- 40 L. pater filium: §. fundum Titianum, ff. de legatis 3. contra opinionem Abbatis inducta.
- 42 L. sub conditione, ff. de hæredibus instituentibus, rectè ponderata per Decium contra Abbatem.
- 42 Clausula apposta in præcedentibus, in sequentibus repetita non intelligitur.
- 43 Dua leges inducta contra Abbatem.
- 44 Conditio adjecta uni gradui, vel personæ jam nominatæ, non censetur repetita in personâ alterius substituti, aut conjuncti: quod plenissime explicatum proponitur remissivè.
- 45 Anania sententiam contra Abbatem, intellexit. Eo modo, quo post alios Authores intellexit Molina magis communiter probari per Doctores, ut hoc n. adnotatur, & latius infra num. seqq. & num. 100. cum seqq. & num. 136. & seqq.
- 46 Authorem, postquam in hac materia quamplurimam evolvisset, & infinita, attentè, atque originali librorum omnium lectura prælegisset, (quod moris habet) nonnulla constituere necessarium dixit, quibus ipsa, absolute, & distincta magis, quàm antea erat, explicata manebit, ut num. seqq. constabit lectori.
- 47 Qualitates & circumstantias casuum occurrentium considerandas esse in hac materia repetita, vel non repetita qualitatis præcedentis, nec certam regulam dari posse, prout hoc numero adnotatur.
- 48 Voluntates hominum variæ, & diversæ sunt.
- 49 Cum possit testator cum dispositione legis se conformare, vel sua dispositione facere cessare provisionem illius, fæminas excludendo, vel non.
- 50 Possit etiam diversimodè suam dispositionem facere, aut generalem, aut specialem, aut limitativam & restrictivam, aut respicientem aliquod substantiale ipsius dispositionis, vel accidentale; aut expressam, vel tacitam.
- 51 Repetitionis inducendæ, vel non inducendæ disputacionem, totam conjecturalem esse, & præsumptam.
- 52 Sic, ut conjectura in hac materia fallacissima esse possint, cum non solum diversi in variis, & diversas trahantur sententias, sed etiam idem sibi non consent.
- 53 Idcirco, quamvis expressum dici soleat, ac etiam evidenter: & clare apparere id, quod ex conjecturis apparet, est, si verbis expressum non fuerit.
- 54 Et specialiter provisum dicatur, quod ex mente, aut intentione disponentis apparet per conjecturas.
- 55 Voluntatemque ex conjecturis collectam, expressant voluntatem dici, censuerint quamplures Authores.
- 56 Tamen, quia in conjecturanda, atque interpretanda defuncti voluntate sæpe decipimur.
- 57 Et mentem defuncti judicare difficilimum est.
- 58 Quia interpretatio voluntatis testatoris plena periculi est, & sæpe in illius cognitione errare solemus.
- 59 Et ambulare dicimur in tenebris, cum agimus de interpretanda mente testatoris, cum quo loquuti non sumus, & qui non potest modo mentem suam aperire.
- 60 Ac denique de mente hominis nullam certum est testimonium, quia soli Deo nota est; ideo magis inherenda verbis certis, quam menti imaginariæ, & non certæ.
- 61 Et quoties voluntas testatoris expressa non fuerit, aut clara; incerta potius, & obscura, atque conjecturata

Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

jecturis colligenda, cautissime agendum est; ut plura attendantur, quae, ut interpretatio congrua dicatur, necessaria sunt, & plenissime adnotata, remissive.

62 Conjectura ex testamento resultantis materia, & qualiter, quodve probationis genere illa probari debeat, late & utiliter explicata, remissive.

63 Conjecturae illae dumtaxat attendi debent in interpretanda defuncti voluntate, quae necessariae, aut valde probabiles sunt, aut concludentes.

64 Et quae colligantur ex dictis, & dispositis per testatorem.

65 Feminas propter masculos remotiores, ex conjecturis, non aliter exclusas censendas esse, quam si conjecturae indubitatae fuerint, vel tam evidentissima, ut salva mente testantis ab eis recedi non possit.

66 Vel nisi evidenter, aut clare constet de testatoris voluntate.

67 Aut verba expressissima sunt: & vide infra, n. 159. & 160.

68 Repetitionem, aut restrictionem masculinitatis, legitimitatis, aut aliarum qualitatum precedentium, totam pendere à voluntate testatoris.

69 Idcirco, cum expressa, aut clara, sive etiam praesumpta fuerit voluntas testatoris, qualitates praecedentes repetere volentis, aut restringere, feminas proximiores propter masculos remotiores excludere, vel non excludere; illa omnino, & praecise observanda est.

70 Repetitio qualitatum, vel conditionum sit, vel non sit ex praesumpta mente disponentis, ac etiam impeditur, ubi aliis de jure fieri deberet, si constet de tacita mente disponentis.

71 Feminas propter masculos remotiores, excludi ex voluntate expressa testatoris; ut in exemplo, quod adducit Molina, hoc numero praecitatus.

72 Institutio majoratus, qui per viam regulae generalis, qualitatem masculinitatis in Majoratu apposuerit, licet in quibusdam gradibus, aut vocationibus eam omiserit, perpetuo eam repetere voluisse credendus est.

73 Et in hoc casu ad exclusionem feminarum, includi masculos, etiam remotiores, non ex vi repetitiva, sed potius comprehensiva contra Molina defendit Author.

74 Expressum dicitur, quod ex precedentibus, sive sequentibus verbis, errore, aut oblivione disponentis, apparet fuisse omissum.

75 Expressum dicitur, quod ex proemio, sive praefatione dispositionis colligitur, quae praestat lumen, ac intellectum ipsi dispositioni, & inducit causam, & rationem finalem ipsius.

76 Institutio Majoratus, qui ejusdem institutione profectetur, se Majoratum instituisse ea ratione, ut bona perpetuo in agnatione conserventur, ex hoc solum, feminas propter masculos remotiores excludere, & qualitatem masculinitatis repetere voluisse videtur.

77 Fideicommissum, an, & quando inducatur, sive amplietur agnationis conservandae ratione expressa: item conservandae agnationis ratio, quando dicitur expressa, & quando tacita, plenissime tractatum remissive; & ibidem de aliis multis, quae in hac materia utilissima sunt, & Hispanorum Majoratibus quotidie applicari possunt.

78 Majoratus institutor, si masculos simpliciter, & absolute vocaverit, nec de femina in aliqua parte dispositionis meminerit, quamvis rationem conservandae agnationis non expresserit, ex hoc solum agnationem conservare voluisse videtur, feminasque propter masculos remotiores excludere, & num. seqq.

79 Verbum, masculos, sui natura, absque ulla ratione conservandae agnationis expressa, vel subintellecta, exclusivum est feminarum.

80 Masculinitatis expressionem, praebere conjecturam, ut prospectum sit agnationi.

81 Textus in §. ceterum, instituit, de legitima agnatorum successione, subtiliter ponderatus per Authorem.

82 Cognati jure civili non admittebantur ad hereditatem, sed à Praetore tertio ordine per honorum possessionem vocabantur.

83 Masculinitatis qualitas reiterata, aut in pluribus substitutionibus repetita, ostendit indubitanter, agnationi fuisse prospectum.

84 Majoratus institutor, si relictis propriis filiabus, filios masculos ad successorem ejusdem invitavit, invicemque eos substituit, aut (quod indubitatum erit) si ad vocationem agnatorum etiam collateralium processit, & easdem filias reliquerit, agnationem conservare voluisse, feminas propter masculos remotiores in perpetuum exclusisse videbitur.

85 Conditionem, si sine liberis, verificari tantum in masculis, quando testator propriam filiam exclusit, & masculos tantum haeredes instituit, ex magis communi, & recepta sententia.

86 Et pro ea multum urgere, aut verè concludere fundamenta nonnulla, quae adducit Menochius, hoc numero praecitatus, qui etiam eruditè, & subtiliter omnibus satisfacit, quae in contrariam excitari, aut moveri possunt.

87 Velasquez de Avendaño confutatus ab Authore.

88 Majoratus institutor, qui relictis propriis filiabus, masculos tantum ad successorem invitavit, nulla alia ratione id fecisse dici potest, quam ut agnationem conservaret.

89 Ratio subintellecta, pro expressa habetur, quae unica imaginari potest in testamento.

90 Agnationis conservandae rationem, expressum censeo, tamen si in dispositione non exprimitur, ubi ea sola, & non alia reddi potest ratio.

91 Velasquez de Avendaño, si Menochium, & alios recentiores prelegisset, fortassis à sententia; quam defendit Author, non recessisset.

92 Testator substituens filio suo decedenti sine filiis masculis, fratres, & ipsorum filios masculos exclusa filia, id videtur fecisse ratione conservandae agnationis, nec exclusio feminae, & masculinitatis qualitas expressa, propter aliud videtur apposta.

93 Quartum notabile, & omnino necessarium pro regula, aut generali doctrina hujus materiae proponitur.

94 Repetitionem omnem tacitam, procedere, aut ratione copulae, vel conjunctionis, quia sunt plura legata copulata, vel per dictionem, & vel, item, & similes alias dictiones conjunctivas, vel connexivas; vel quia reguntur ab eodem verbo, & determinantur ab eodem actu, verbi determinantis, aut regentis totam orationem; aut per identitatem rationis, quando subest ratio repetendi antecedentia in sequentibus; & sic in summa totam hanc materiam explicavit Baldus, in consilio 153. Quidam testator, lib. 5.

95 Ubi magistraliter, & doctè constituit, tres causas esse tacitam repetitionem inducentes, videlicet Copulam, identitatem orationis, & Identitatem rationis: è converso, tres esse causas repetitionis exclusivas; videlicet, Adversativam, ut quia est ibi dicitio sed, vel secus, & similes; Diversivatem, sive separationem orationis; & temporum; & diversivatem, sive adversationem rationis.

96 Nam habentia inter se adversativam rationem, non habent ad invicem tacitam repetitionem.

97 Et ad hoc in effectu reduci debere infinita; quae, licet diversis modis, & in variis, & multis locis adnotarunt Scribentes in hac materia, verè illa à doctrina superiori fundamentum sumunt.

98 Ruini resolutiones in consiliis nonnullis quae hoc numero praecitantur, novae non sunt, nec ipsi tribuenda, ut nonnulli Scribentes crediderunt; imò

ex prima parte distinctionis Baldi deducuntur aperte.

99 Abbatis, & Ananiae sententias contrarias, ut concordarent, permulta quidem scripsisse, atque excogitasse Authores infinitos, quorum infra mentio fiet; verè tamen, nonnulla eorum, vel falsa esse; aut si vera, non perfecte, nec absolute intellecta, sive omnes casus non continentia; vel sapè involuta, & aliis contraria omnino.

100 Ananiae sententiam, Abbatis opinioni contrariam, regulariter veriorum esse, exceptis casibus quibusdam cum Molina, & aliis: & supra, num. 45.

101 Ad rationes adductas supra, pro Abbate, ex n. 10. usque ad num. 15. concludentes, & verae solutiones assignatae, & num. seqq.

102 Descendentium, filiorum, aut liberorum nomen, feminas, sicut masculos comprehendit.

103 Repetita qualitatis regula procedit in favorabilibus; non autem in odiosis.

104 Per repetitionem qualitatis, ubi sit differentia inter masculos, & feminas; aut femina excluditur; materia odiosa dicitur.

105 Repetita qualitas nunquam censetur, quando ex repetitione inducitur aliquid contra jus commune.

106 Substitutio debet regulari secundum institutionem, quoad partes institutionis, & substitutionis; secus est in alia qualitate extrinseca.

107 Decium in hac materia breviter, substantiialiter tamen, & utiliter loquitur: & ejusdem Authoris conf. 599. per totum, in proposito commendatur.

108 Ad argumentam in favorem Abbatis propositum supra, num. 15. plures solutiones assignatae, remissive.

109 Vulgatum Doctorem assumptum ex l. si viva matre, C. de bonis maternis, deductum, & supra n. 16. pro Abbate adductum, fundari in praesumpta testatoris voluntate, quae ex identitate rationis deducitur.

110 Sed in questione agitata supra, ex n. 7. voluntatem cessare; imò in contrarium videri existere, & verba deficere: idcirco illius legis rationem, in favorem Abbatis non urgere; prout hoc numero adnotatur.

111 Pelaez à Mieres deceptum in allegatione leg. Julius Paulus, 80. ff. de conditionibus & demonstrationibus, & illum textum (utcumque sit) probare contrarium ejus, ad quod expenditur; novè & verè adnotatur per Authorem.

112 Leg. cum servus, 81. ff. de condit. & demonstrat. vera ratio redditur; & n. sequentibus, ubi ostenditur, rationem ejus non militare in questione, de qua supra, ex n. 7. cum seqq. imò diversam, aut contrariam esse.

113 Testatorem inutiliter disponere voluisse, aut inutile legatum facere velle, credendum non est.

114 Mutasse voluntatem suam testatorem praesumi non debere, optime declaratum; & ad argumentum pro Abbate adductum supra, num. 18. optime satisfactum.

115 L. Caio, ff. de alimentis, & cibariis legatis, quam adducit Mieres in favorem Abbatis, verè nihil probare, aut saltem ejusdem rationem diversam esse, nec casui nostro conducibilem, & num. seqq.

116 Legatum, an, & quando cum ejusdem conditionibus translatum praesumitur, plenissime actum remissive.

117 Condicio apposta in testamento, regulariter in codicillis repetita praesumitur.

118 Codicillis trahuntur ad mentem testamenti.

119 Testator in codicillis non censetur recessisse à voluntate, & dispositione facta in testamento.

120 Legem, si tibi, cum lege sequenti, ff. de adimendis legatis, (quam pro Abbate ponderavit Mieres) nullo modo induci posse pro illo, contra illum verè posse, nec etiam pro Anania aliquid probare, & num. seqq.

121 Legatum translatum ab ipso testatore de eadem persona in eandem personam, non transferri cum eadem conditione, & onere.

122 Legata ab instituto relicta, praesumi repetita à substituto, & de hoc accurate, & diligenter actum per Menochium.

123 Legem, cum pater, §. ab instituto, ff. de legatis 2. opinionem Abbatis non probare, novè adnotatum per Authorem.

124 Lex, quae statuit, legata ab instituto esse repetita in substituto, est fundata in sola conjecturata mente testatoris, quam ob aequitatem quandam ejusmodi fuisse, lex conjicit.

125 Repetitionem legati fuisse à lege introductam, ne testator frustra legasse videatur.

126 Condicio, vel qualitas posita in clausula separata à precedentibus, aut sequentibus, ex praesumpta mente testatoris, an, & quando referatur ad omnia, vel ad unum tantum, vel ad aliqua ex precedentibus, vel sequentibus; quod certa regula diffiniri non possit, à multis tamen plene, & diversimode tractatum; prout hoc numero ostenditur remissive.

127 Legem §. filius, ff. de libertis & posthumis, & quae ad explicationem ejus textus à Doctores adnotantur, Ananiae opinioni nihil obstat.

128 Agnationis conservanda rationem attendendum non esse, nisi in gradibus, aut personis, in quibus expressa est: idcirco conservandam agnationis, masculorum inclusionem, & feminarum exclusionem restringendam esse ad gradus & personas expressas, & specificatas, nec ad alias personas extendendam esse: quod intellige, ut declaratur infra, ex num. 36. cum seqq.

129 Limitata causa limitatum producit effectum, tam in dispositionibus testatorum, quam in aliis casibus, idque nonnullis exornatum, & declaratum, remissive.

130 Pelaez à Mieres adnotatio quaedam in hac materia, probata per Authorem, atque ex his, quae scribit Menochius, remissive confirmata.

131 Repetitionem qualitatum precedentium, non admitti; ubi quilibet substitutio, praecedens & subsequens, sunt ad invicem separate, & in diversis capitulis, aut clausulis posita, & perfecta oratione determinata.

132 Etiam si adsint dictiones repetitionem significantes, cum tunc sicut potius continuativae, quam repetitivae.

133 Nec aliqua repetitione indigeat clausula continens rationem sive orationem perfectam.

134 Idque maxime procedere, ubi adest personarum diversitas: intelligendo tamen prout declaratur infra num. 138. & seqq.

135 Abbatis sententiam in conf. 36. n. 3. lib. 1. (de qua hucusque actum est) procedere posse ex voluntate testatoris, rationis identitate, agnationis conservandae ratione expressa in dispositione, vel subintellecta, ex nonnullis causis, rationibus, & distinctionibus probabilissimisque, & necessariis, aut concludentibus conjecturis, ex quibus elici posse aperte, aut colligere necessarium sit, agnationem conservare, qualitates repetere, aut praecedentia sequentibus inesse, testatorem voluisse.

136 Qualitatem masculinitatis, legitimitatis, aut aliam similem positam in prima dispositione repetantur censeo in secunda, & ulterioribus, quando adest praesumpta, & conjecturata mens, ac voluntas testatoris.

137 Et quando militat eadem ratio.

138 Repetitionem qualitatum precedentium, ex identitate rationis, conjecturata, & verisimili mente testatoris, dictionum natura, & aliis probabilissimis conjecturis, fieri debere ad sequentes gradus, aut substitutiones, etiam si sumus in diversis, aut separatis orationibus, & in diversis personis.

139 Et ad hoc inter alia, Tiberii Deciani nonnulla consilia ponderata.

140 Sfortia Odo laudatur, & consilium ejusdem in proposito ponderatur.